

*Galeatij Brugorae Patricij Mediolanensis et Regij fisci  
patroni oratio habita Tridenti in concilio patrum nomine  
illustrissimi et excellentissimi Marchionis Piscariae regis  
catholici oratoris*

Quod unum aegrotae reipublicae christianae remedium esse semper visum est patres; illud omnino fuit, cum in dicto concilio spes bonis injecta est, negotium foelix ac salutare a pontificibus, a Cesare a regibus una susceptum iri ut magnis concursibus omnium gentium ac nationum celeberrimi conventus peragerentur. Ea re Pius quartus, Papa Maximus, dignitatis reipublicae christianae, otijque amatissimus, ut ad bene de omni republica sperandum qua signum aliquod omnibus sustulisse videretur, nihil antiquius putavit quam concilium illud a Paulo tertio Papa hoc ipso in loco in dicto retentum animo remissum temporibus longuo intervallo intermissum revocaret. Etenim si ullum unquam tempus hujusmodi rem desideravit, hoc ipsum profecto est quo multae gentes ac nationes discerptae, divulsae conquassatae sunt, varietate opinionum, et licentia imple disputandi quo multi a christiana republica aberrarunt, quo denique omnis prope christiana civitas intestinis malis ac discordijs laborans multa perdidit et ornamenta dignitatis, et praesidia stabilitatis suae.

*Quamobrem* cum Pius IIII Papa Maximus quasi bonus parens, et tutor fidelis curaret ne patrimonium dignitatis reipublicae a praedonibus nefarijs diriperetur, etsi multa quidem pro illius dignitate ac salute gessit, quae orbis terrae iudicio ac testimonio comprobantur, tamen nihil clarius, nihil gloriosius, nihil denique comendatius effecit, memoriae hominum sempiternae quam quod vos potissimum elegit patres quidem summa rerum omnium deliberaretis.

*Nam* quod consilium? Quae mens? Nisi ut divina sapientia vestra sedaretis hoc mala pessimeque affectam civitatem christianam sanaretis, firmamque aliquando ac vegetam redderetis. *Quamobrem* vos patres quasi oracula civitatum, quasi moderatores populorum, quasi architecti quidam

ac fabri a pontifice maximo estis advocati ut huic sanctissime reipublicae adsitis, et si illa stet eam muniatis, si labatur, erigatis.

*Cui negotio cum Philippus rex pius fortis ac foelix erga christianam pietatem, justumque hunc ipsius principatum eodem modo affectus sit quomodo patrem suum prudentissimum et sapientissimum imperatorem Carolum quintum Caesarem Augustum omnibus temporibus affectum fuisse memoria tenet, libentissime quidem nisi multis ac magnis occupationibus distineretur, interfuisset, coramque gravi oratione declarasset quo studio, quo ardore, qua pietate, semper fuerit, et hoc tempore maxime sit, erga auctoritatem sacrosanctae sedis, totamque rempublicam christianam, idque eo libentius fecisset, ut et coeteri reges et principes civitatum frequentiores hunc ipsum in locum convenissent, et vos patres maiore animi alacritate, omnia quae dilapsa jam fluxerunt, severis legibus vinceretis, et reipublicae vulnera curaretis, quibus praeter vos, vos inquam patres mederi nemo potest. Sed cum multis justisque de causis adesse ipse non potuerit, ex multis heroibus (quorum magnam copiam habet) Franciscum (1 v.) Ferdinandum Davalum Marchionem Piscarium elegit, dignumque iudicavit cui munus hoc legationis obeundae ultro defferret. Qui etsi in nullo otio, ut in summo negotio, provinciam Mediolanensem cum imperio administrat, tamen ab ipso rege, qui cum antea semper, tum hoc vel maxime tempore os, oculos, mentem denique ipsam in unam rempublicam christianam convertit, jussus est ea omnia quae ad sanctissimam religionem pertinent rebus humanis omnibus anteferre, et hac se quam primum recipere.*

*Adest igitur Franciscus Ferdinandus a catholico rege missus, et eo nomine ut et regis personam hoc ipso in loco sustineat, et omnia ejus officia, operam, laborem, copias denique omnes ad amplitudinem vestram conferat. Denique vobis praesto adsit, faveat, prosit, quibuscumque rebus rex ipse possit, et si enim respublica christiana maioribus praesidijs tegitur, ac Dei optimi maximi numine ab omnibus insidijs adversariorum defenditur, tamen humanis etiam opibus alioquin contra vim et seclus visa est eguisse (sic).*

*Etenim id circo potissimum reges sancti appellantur, et terris a Deo dati sunt, ut et ad rerum temperationem sedeant, et reipublicae christianae non modo excubias et custodias, sed etiam laterum suorum oppositus et corporum polliceantur.*

*Primum igitur cum pontifex maximus vigilet, adsit, provideat reipublicae, deinde magni animi sint in bonis viris magna concordia, incredibilis conspiratio, Deus denique ipse immortalis ac praepotens huic suo populo christiano, huic clarissimo imperio, huic pulcherrimae reipublicae auxilium continenter ferat, non est desperandum fore ut vos patres non modo labenti christianae reipublicae subveniatis, verum etiam in veterem libertatem et dignitatem vindicetis, ipsa certe quae nuper crescentibus malis quae ipsam interimunt capiti salutique suae prope desperare videbatur, et miseris temporibus et perditis moribus afflicta et oppressa jace-*

bat. Nunc tamen aliquando bene sperare freta, praesertim medicina consiliorum vestrorum salutaribusque auxilijs coepit, confidit, enim se veteris morbi gravitatem vobis curatoribus depulsuram, confidit a novis tentationibus vestra diligentia liberam futuram, confidit denique antiquum robur ac corporis firmitatem brevi recuperaturam.

An vero cum sciat vos, quos non tanquam aliquos ex urbe Romae missos, sed de coelo dilapsos intuetur, in loco tam excelso pulcherrime sedere, et ad defensionem suam stare, non sese excitet? Non sese erigat? Non caput extollat? Quae cum ita se habeant facile omnes in eam spem ingrediuntur fore ut omnes qui fortasse aliquo modo aberrarunt, redeant in viam, et veritas multis incommodis debilitata tandem opera et aequitate vestra recreetur, et locum in quo consistat reperire possit. Postularet fortasse hoc loco magnitudo rei, expectatio vestri quae mirabilis est ut Franciscus Ferdinandus commoneret vos patres ut in hac turbulentissima tempestate reipublicae in tam gravibus cogitationibus vestris omnia diligentissime dispiceretis.

Sed cum secum ipse considerat incredibilem sapientiam vestram ac prope divinam, nullamque rem tantam esse ac tam difficilem quam vos non et consilio regere, et integritate tueri, et virtute conficere possitis, nihil sibi temere faciendum esse putat, nihil vos cujusque monitis egere arbitratur, videt vos quasi in vigilia quadam manere, nec usquam discedere, nec a republica dejicere oculos, ex eo die quo in hoc concilio convocati estis videt in tantis tenebris, erroris a Deo optimo maximo clarissimum lumen praeferrimentibus vestris, videt animos vestros reipublica conservandae cupiditate sua sponte incensos ab eodem inflamari.

Intelligit vos nihil neque cupide neque temere sed omnia et (2) sapienter et fortiter administrare. Intelligit vos ab omnibus coeteris cogitationibus ad unam salutem communem conferri. Intelligit denique vos cogitationes et mentes vestras in hoc uno fixisse et locasse ut rempublicam constituatis. Quae omnia cum videat, et quantum in vobis fuit, et praeclare jecisse vos jam fundamenta stabilienda reipublica et eam suavissime nunc a vobis tractari, arte quae lenit non exasperat, sanat non ulcerat, movet non perturbat animos hominum et in posterum nulla vos in re munere vestro de futuros esse, unum illud restare putat, ut in proprio suo officio Philippi maximi et potentissimi regis nomine studium, officium, operam, gratiam, auctoritatem, copias denique omnes vobis patres sine ulla exceptione, aut laboris, aut occupationis, aut temporis, polliceatur, ac deferat.

(B. R.)